

*Simillimus* A. microphylo, cuius nomine *Pallasius* Ill. misit. Differt autem foliis non ovalibus obtusis, sed linearibus, stipulis ovatis, nec subulatis minimis, calycibus pilosissimis, nec glabriusculis, leguminibus lanceolatis nudiusculis, nec subrotundis villosis. *Simillimus* etiam A. lanato *Pall. astrag. t. 81.*, qui vero differt caule prostrato, pedunculis folia non excedentibus et leguminibus villosis.

Ad mare caspium inventus. *Pallas.*

65. *SONCHUS CAUCASICUS*, foliis sessilibus, inferioribus cordatis dentatis, superioribus integris hispidis, pedunculis squamosis.

*Caulis* orgyalis, herbaceus, ramosus. *Folia* inferiora cordata, grosse dentata, acuta, utrinque scabra petiolis late alatis, ramea integerrima, hispida, ciliata, obtusa amplexicaulia. *Panicula* pacuiflora, ramis patentibus. *Pedunculi* squamosi. *Flores* lutei.

E Caucaso.

66. *SERRATULA SALSA*, foliis radicalibus lyratis, caulinis lanceolatis decurrentibus basi dentatis, corymbo composito.

*Similis* S. multiflorae, quae vero differt foliis omnibus lanceolatis integerrimis subtus villosis.

Ad lacum Baikal invenit *Redowsky.*